

Zeitschrift: Beiträge zur vaterländischen Geschichte / Historisch-Antiquarischer Verein des Kantons Schaffhausen

Herausgeber: Historisch-Antiquarischer Verein des Kantons Schaffhausen

Band: 8 (1906)

Anhang: [Beilagen]

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 07.07.2025


ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



H. C. Lang fec.

Schlößchen Wörth nach einem Fischereirodel von 1631.

Ph. Dammköhler del.



Privilegium des Kaisers Heinrich V. für Allerheiligen vom 4. September 1111.

(Chr) In nomine sancte et individue trinitatis Heinricus divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Si ecclesiis divino cultui mancipatis et fratribus inibi Deo famulantibus imperialis patrocinii nostri solacium prebuerimus, nos inde procul dubio divinitus remunerari non diffidimus. Quapropter fidelium nostrorum ||, tam presentium quam futurorum, universitas noverit, qualiter reverendus abbas Adelbertus ex monasterio Schafhusa, quod est constructum in honore sancti Salvatoris et omnium sanctorum, privilegia quorumdam venerabilium || Romanorum pontificum, Gregorii vide-licet septimi, Urbani atque Paschalis, nostris obtutibus obtulit, imperiale nostram humiliter postulans clementiam, ut, quicquid honoris et gratie illi prefato monasterio apostolice sue auctoratis confirmavere privilegiis, hoc imperialis nostre dignitatis corroborare dignaremur preceptis. Igitur rogatu et consilio archiepiscoporum Adelberti Maguntiensis archiepiscopi, Brunonis Treverensis, Frederici Coloniensis et aliorum episco-porum: Burchardi Monasteriensis, Udonis Hildinissemensis, Ebrehardi Eistetensis, Brunonis Spirensis, Cuononis Strasburgensis, Frederici ducis nec non comitum Heremanni de Saxonia, Berengarii de Bavaria, Tibaldi marchionis, Herimanni marchionis aliorumque nostri regni principum eius petitioni annuimus. Quicquid igitur predicto monasterio Ebrehardus comes et Burchardus, filius eius, delegaverunt, villam scilicet Schafhusam cum mercato et moneta, villam quoque Hemmendal cum adjacente foresto, quod vocatur Randa, et appenditiis suis et cum omnibus, que ei ex predictorum comitum facultatibus seu aliorum fidelium oblatione jam concessa sunt vel in posterum juste et legaliter concedentur, imperiali nostra auctoritate confirmamus. Preterea, ut prefati monasterii fratres sine inquietudine propositum suum valeant securius et propensius exequi et omnipotenti Domino debite devotionis obsequium grataanter exsolvere, statuimus et impe-riali nostra auctoritate interdicimus, ut nullus sacerdotum, ducum aut comitum aut quelibet magna aut parva persona presumat sibi in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hereditarii juris, non advocatie, non investiture, non cuiuslibet potestatis, que libertati monasterii noceat, vendicare, non ornamenta ecclesie sive possessiones invadere, minuere vel alienare, sed ita sit ab omni potestate securus et Romane sedis libertate quietus, ut in predictorum Romanorum pontificum privilegiis statutum est et confirmatum. Abbas autem cum fratribus advolutum, quem voluerit, instituat. Qui si postmodum monasterio inutilis fuerit, abbas cum fratribus, apud regalem justiciam querimonia super eo habita, eius adjutorio et auctoritate illum removeat et alium, quem sibi utilem perspexerit, preficiat. Si que sane deinceps ecclesiastica secularisve persona, huius carte nostre paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, banno nostro subjaceat et abbati ipsius monasterii pro illatis dampnis dupliciter componat. Ut autem hoc ab omnibus credatur et omni evo inviolabile permaneat, hanc cartam inde conscriptam et manu propria corroboratam impressione nostri sigilli, ut appareat inferius, jussimus insigniri.

Signum domini Heinrici quarti Romanorum imperatoris invictissimi.

Albertus Maguntinus archiepiscopus et archicancellarius recognovi.

Data II. nonas septembbris, anno dominice incarnationis millesimo CXI., indictione III., regnante Heinrico quinto rege Romanorum anno VI., imperante primo. Actum est Maguntie in Christo feliciter. Amen.